DE PUBLICO AESCHYLI SOPHOCLIS EURIPIDEIS FABULARUM...

Otto Korn

DE PVBLICO

AESCHYLI SOPHOCLIS EVRIPIDIS FABVLARVM EXEMPLARI

LYCVRGO AVCTORE CONFECTO

SCRIPSIT

OTTO KORN

DR. PHIL.

BONNAE

APVD ADOLPHVM MARCVM

1863.

Sophocle et Euripide mortuis, labente re publica tragica quoque ars apud Graecos sensim a perfectionis fastigio, ad quod ab his uiris, praecipue tamen Sophocle adducta erat, descendit. Quamquam enim multi poetae exstiterunt, illi tamen ex quorum numero uix unus et alter altius eminebant, caeca Euripidei stili admiratione abrepti, nimio quodam modo eius uestigia sequebantur, nihil aliud sibi propositum esse rati, nisi ut populi libidinibus satisfacerent (Plat. legg. II p. 659 C.). Facile igitur quomodo fieri potuerit intellegimus, ut horum multitudini opponeretur trias uetustiorum poetarum Aeschyli Sophoclis Euripidis, atque quod primum Aeschylo honori datum erat, ut fabulae eius etiam mortui in scenam darentur [1]), horum quoque fabulis concederetur: id quod etsi certa populi sciti huc spectantis documenta non exstant, sat multis exemplis fabularum Sophoclis et Euripidis post eorum obitum commissarum allatis, probauit Grysarius (de graec. tragoedia qualis fuit c. tempora Demosthenis p. 2—6). Sed ut hac ratione hi poetae honorifice ab aliis discernebantur minore honore dignis, sic ut hic mos locum haberet, non exigua ex parte eo effectum esse mihi persuaserim, quod qui arti scenicae se dederunt, priore tempore singuli quique Atheniensium ludorum usui suffecerunt, fabulas spectandi cupiditate per totam Graeciam diuulgata (cf. Grysar. l. l. p. 10), in maiorem numerum accreuerunt atque in greges certas distributi sunt. (Plura uide infra.) Atque eos quidem ut si extra Athenas

1) uit. Aesch. ap. Ritschl VII c. Theb. p. XXXI. schol. Ar. Ach. 10. Ran. 892. Philost. uit. Apoll. VI, 2 p. 245 Ol. Boeckh gr. trag. princ. p. 327 sq. Petersen uit. Aeschyli p. 76. Kayser hist. crit. trag. gr. p. XX.

ludos egerunt fabulas summorum poetarum Athenis diu notas in scenam dare solebant, sic ne Athenis quidem ab antiquis fabulis repetendis abstinuisse ueri simile est, etsi magnis Dionysiis nouarum fabularum decus non abreptum est (Boeckh de Lenaeis etc. p. 96. 104 sq. et infra.). Neque uero fieri potuit quin cum per tot annos ab histrionibus fabulae tractarentur ab nullo magistratu qui ueluti auctor integritati earum curaret moderatis, seu casu seu consilio multae mutationes in textum irreperent, id quod si nostrae aetatis usum contuleris quo summorum poetarum dramata saepe foedissime dilacerant, manifestum erit. Itaque ex quo studia antiquitatis ad tragicos poetas graecos se conuerterunt, multum a uiris doctis de actoribus mutationibusque fabularum ab eis factis quaesitum est, quarum quaestionum fons et origo uerba sunt in uita Lycurgi quae sub Plutarchi nomine fertur (p. 841 F ed. Francof. p. 348 R.): *εἰςήνεγκε δὲ καὶ νόμους τὸν περὶ τῶν κωμῳδῶν ἀγῶνα τοῖς Χύτροις ἐπιτελεῖν ἐφάμιλλον ἐν τῷ θεάτρῳ καὶ τὸν νικήσαντα εἰς ἄστυ καταλέγεσθαι πρότερον οὐκ ἐξὸν ἀναλαμβάνων τὸν ἀγῶνα ἐκλελοιπότα· τὸν δὲ ὡς χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου Σοφοκλέους Εὐριπίδου καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτας ὑποκρίνεσθαι.* Duplex autem est de hoc loco quaestio, altera cui usui hoc exemplum tragoediarum destinatum fuerit, altera quibus subsidiis confectum quantam apud Alexandrinos criticos habuerit auctoritatem. Quarum quaestionum utramque ita tractare in animo est, ut eis quae ante nos uiri docti de his rebus censuerunt expositis et quoad necessarium est refutatis nostram sententiam proferamus.

Ac primus quidem Petitus[1]) uerba Plutarchea (ut breuiter dicendi caussa hanc uocem usurpem) hoc fere modo interpretatus est: »Aeschyli Sophoclis et Euripidis tragoedias

---

1) Leges Atticae S. Petiti ed. P. Wesseling L. B. 1742 p. 139 sq.

urbis scriba publice praelegito; histriones eas ne agunto«, cui explicationi inter nostrae aetatis scriptores adstipulatus est Guil. Wachsmuthius [1]). Hanc tamen interpretationem omnino ferri non posse facile apparet: nam ut de γάρ particulae positione taceam, nec exstare eiusmodi recitationis ullum exemplum, ea quae Petitus in his uerbis inesse uoluit neque legi respondent, qua fabulas Aeschyli post mortem eius in scenam dare licuit, et multis exemplis Sophoclis et Euripidis fabulas illo ipso, quo hanc legem promulgauit Lycurgus tempore doctas esse certissimum est. Primus quod sciam post Petitum [2]) C. A. Boettigerus de hac lege iudicauit [3]), qui ubi poetas graecos ita actores fabulas docere solitos esse exposuit (l. l. p. 11 [p. 294]), ut uoce ad modulationem carminis inflexa uersus singulos praeirent et dictata inculcarent, donec discipulos haec probe perdidicisse satis liqueret, eodem spectare contendit legem Lycurgi, quae fabulas Aeschyli Sophoclis Euripidis praelegi iuberet actoribus, eo ille Petito melior quod et quae coniungenda fuerunt coniunxit et extrema verba *οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι* corruptela laborare intellexit, quippe quae »repugnent disertis ueterum testimoniis, quibus fabulas Aeschyleas repetendi potestatem factam esse testatissimum est«. Abiectis eis quae in hac explicatione falsa esse nemo est quin perspiciat, nempe quod censet Boettigerus ciuitatis scribam [4]) actoribus fabulas ediscendas re-

1) Hellen. Alterthumskunde ed. II tom. II p. 723: „doch ward Lycurgos Urheber des merkwuerdigen Volksbeschlusses, dass die Tragoedien des Aeschylos Sophocles Euripides nicht mehr auf die Bühne gebracht, sondern jährlich von dem Staatsschreiber vorgelesen werden sollten; dies nicht sowohl aus Mangel an Mitteln, den scen. Aufwand zu bestreiten, als aus aesthetischer Werthschaetzung jener grossen Dichter."

2) Nam quos Henrichius commentat. I in Iuven. p. 19 complures Petiti expositionem adoptasse memorat, ipse non noui.

3) Quid sit docere fabulam comm. I p. 19 = opusc. ed. I. Sillig p. 259 not. 2.

4) De cuius dignitate uide Welckerum l. m. l. p. 908 med. Boeckhium oecon. pol. I p. 200 sq. ed. I.

citauisse, Heinrichius (l. l.) sic legem Lycurgeam debere intellegi proposuit »ut tragoediae Aeschyli Sophoclis Euripidis exscriptae publice custodirentur easque scriba ciuitatis, qui tabulario praeerat, agentibus eas in scena histrionibus iuxta et altrinsecus ex scripto exemplari legeret«, A. Boeckhius autem (graec. trag. princc. p. 328) Gessnerum secutus (ad Quinctil. X, 1, 66) id hac lege cautum esse uoluit, ut scriba publicus, dum agerentur fabulae argumenti cognati uel alioquin plagii suspectae, simul inspiceret librum et legeret. Sed ne hae quidem explicationes eae sunt, quae omnibus numeris satisfaciant. Nam ut Heinrichius ciuitatis scribae ea tribuit, quae seruo publico digna uidentur [1]), sic Boeckhius unde notitiam suam de usu exempli publici hauserit, me nescire confitendum est. Nam cum nouae tragoediae agebantur, suspitio omnino exoriri nulla potuit, si quidem archontem fabulas, quas poetae docendas protulerunt, censurae subiecisse ueri simile est [2]): si uero antiquae dabantur fabulae mutationes praeter eas, quae ab histrionibus originem ceperunt, fieri potuisse uix probaueris [3]). Nec nisi contra histriones hanc le-

---

1) Cf. Welcker. trag. graec. III p. 908 n. qui alia quoque contra Heinrichium profert.

2) Athen. XIV p. 638 A ib. Casaubonus. Boeckh. oec. pol. I p. 488 n. 647. Wachsmuth antiq. hell. II p. 719.

3) Nam quod dicunt Athenienses ut *καινὰ δράματα* proferrentur postulasse ideoque necessarium fuisse, ut Aeschyli Sophoclis Euripidis fabulae, quarum magna fuerit cupido, populo singulis locis mutarentur (*διασκευάζειν*) primum si res sic se habent, in sola Dionysia quae magna uocabantur hoc quadrat, tum uero, quod de Aeschylo est, lege (ante a. 405 a. Chr. lata) licuit eius tragoedias nouarum instar in scenam dare. Ac Sophoclis quidem et Euripidis fabulae quas et apud Athenienses eis ludis quae Lenaeis et Dionysiis ruralibus haberi solebant et apud alias Graeciae gentes perpetuo actas esse nihil est quod dubites, Dionysiis magnis quibus nouae tragoediae proferri debebant, adhiberi omnino non poterant: sed quid est quod Athenienses permisisse sumamus, ut mortuorum poetarum fabulae ab aliis hominibus mutando et corrigendo uitiarentur, cum facillimo negotio liceret decernere, ut nouarum loco eae ederentur? Quod si de Aeschyli fabulis

gem factam esse facile suspiceris, sed quid praecipue ea statutum sit, priusquam enucleare studemus, animaduertenda sunt extrema legis uerba quae sic in libris mscr. leguntur: *οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι* quaeque ideo usque in hunc locum tractanda reseruauimus, quod ei uiri docti quorum adhuc sententias protulimus, aut nullam aut eam habuerunt eorum rationem qua nihil efficiatur. Etsi enim falsa interpretatione reiecta Boettigerus haec uerba corrupta esse contendit[1]) neque tamen ipse neque qui post eum hanc quaestionum tetigit Boeckhius medelam attulerunt. Heinrichius autem Wyttenbachii[2]) coniectura arrepta satis speciosa *οὐκ ἐξεῖναι γὰρ π α ρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι* scribendum esse iussit, quem tamen non fugit *παρ' αὐτάς* eo sensu intellegi non posse, ut significent *παρ' αὐτὰς τὰς ἀντιγράφους*. Quod cum sentiret Grysarius aliam uiam instituit sibique persuasit *ἄλλως* uocem excidisse quod nolim similitudine literarum factum esse contenderit[3]). Postea Welckerus (gr. trag. III p. 908) de his uerbis egit omnibusque coniecturis contemptis interpretatione locum eguisse do-

---

statutum est, eo tempore quo et Sophocles ad summam laudem tragoediam produxerat et Euripides prae ceteris populo probabatur, mihi quidem primis post eorum obitum annis eorum fabulis idem ius ac Aeschyleis tributum esse persuasissimum est. Plura alio loco de hac quaestione disseremus. Nunc cf. Richter. de interprett. gr. p. 5—17. G. Hermann. opusc. II p. 154 sq. Bernhardy litt. gr. II, 1 p. 143. 144.

1) Primus Boettigerus hanc sententiam protulit (quid sit doc. fabul. prolus. I. Vimar. 1795 p. 12 n. 2) non ut Grysar. (l. l. p. 9) dicit Wyttenbachius.

2) Bernhardyum uit. Eurip. 165 hanc coniecturam protulisse dicit Hartungius Eurip. rest. II p. 569 not.

3) Quod idem monuit Nissenus de Lyc. oratoris uit. et rebus g. p. 90 qui nouam ipse conatus est proferre coniecturam, ab aliis argumentis comprobandam his uerbis: „Qua ex angustia (sc. quam uerba Plutarchi efficiunt) omnino liberaremur, si probari posset, quod mihi in mentem uenit *ὑποκρίνεσθαι τραγῳδίαν* non tantum significare: agere fabulam, sed ab — histrionum mutationibus et interpolationibus assumsisse notionem *deprauandi* fabulas;“ quae adnotasse sufficiet.

cere studuit non mutatione. Is enim refutata eorum sententia, qui aut recitauisse reipublicae scribam actoribus fabulas sibi persuaserunt, aut cum eae in scena agerentur, librum inspexisse et si quid temere mutarent notasse, id ea lege cautum esse statuit, ut, siquis festo Dionysiaco antiquarum illarum fabulam uel tetralogiam agere uellet, publicum adiret scribam, qui eius exemplar conferret cum ciuitatis exemplari [1]), quaeque nimis recederent ab eius quem dicunt textu, suo nitori restituenda esse moneret. Nam sicut nouae fabulae ab archonte inspici solebant, priusquam in scenam darentur, sic antiquarum fabularum hanc institutam esse curam. Extremis autem legis uerbis exprimi quod antea licuisset poetarum antiquorum fabulas repetere, ab illo tempore non licere nisi antea ciuitatis exempli auxilio textu fabularum docendarum in genuinam formam redacto. Attamen quamquam hac ratione illustrata omnia ac plana esse uidentur, tamen restat scrupulus eo motus, quod legem habemus, cuius prima certe uirtus esse debuit perspicuitas utque a nemine falso intellegi posset. Itaque priorem quidem Welckeri sententiae partem ambabus manibus amplector, uerba autem *οὐ γὰρ ἐξεῖναι αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι* medela indigere censeo quam quod ad sensum est rectam attulisse uidetur Grysarius [2]). Ei autem qui post Welckerum hanc legem tractarunt, G. C. Kayserus

---

1) De uerbi *παραναγινώσκειν* notione cf. Lobeck. Phrynich. p. 217 sq. Meieri comm. de uit. Lyc. p. 38.

2) Coniecturam quandam addam non eam quidem speciosam sed quae sermonis usu uidetur postulari. Verba enim *παραναγινώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις* si sola uerba spectamus uix aliam interpretationem admittunt, quam eam quam ratione repelli inuenimus eamque ne ex uerbi *παραναγ.* quidem usu comprobandam, ut cum agerentur fabulae publicus scriba simul legeret. Si autem *παραναγινώσκειν* sensu conferendi intellegimus, coniunctio eius cum uerbis *τοῖς ὑποκρινομένοις* difficultates mouet eo etiam auctas, quod cur *οἱ ὑποκρινόμενοι* dicantur histriones, uulgo *ὑποκριταί* nominati, nulla adest caussa. Ita conieci, inesse in uerbis *τοῖς ὑποκρινομένοις* uoces *τοῖς τῶν ὑποκριτῶν ἀντιγράφοις*.

(hist. crit. trag. gr. Gotting. 1845 p. 33 sq.) et G. Bernhardyus, (hist. lit. gr. II, 2 p. 110 ed. II. p. 646 ed. I) quamquam ea, quae Welckerus proposuit, laudant, tamen quoniam difficultates, quae in extremis insunt uerbis eius, interpretatione non omni ex parte absolutas esse uiderunt, nouas sibi muniuerunt uias, quibus genuinum horum uerborum sensum enuclearent. Ac Kayserus quidem sic fere ea restituenda esse contendit: *οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι ἀλλὰ ἀναγιγνώσκειν*, Bernhardyus autem legendum esse proponit: *καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγινώσκειν, τοῖς δ' ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι.* Quarum coniecturarum haec quidem primum eo laborare uidetur, quod eandem rem bis positam esse sumit, tum uero extrema uerba *τοῖς δ' ὑποκρινομένοις οὐκ ἐξεῖναι παρ' αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι* eandem, quam supra notauimus praebent difficultatem, quod antea de fabulis ipsis, hic de exemplis earum agitur publicis: Kayseri autem interpretatio mirum quantum singulorum uocabulorum sensum torquet. Is enim uerba *ἀναγιγνώσκειν* et *ὑποκρίνεσθαι* ita differre uult, ut hoc liberiorem, illud accuratam et religiosam recitationem significet, quam a Lycurgo, ut ab interpolationibus seruarentur tragoediae, histrionibus impositam esse contendit. Nam neque, id quod ipse sensit Kayserus (l. l. p. 37), haec uerborum explicatio argumentis demonstrari potest, et in idem uitium labitur, quod supra uituperauimus, ciuitatis scribae adscribens, quae ei attribui nullo modo debuerunt.

Iam uero ubi eum in usum hoc exemplum confectum esse inueniamus, ut eius auxilio ab histrionum mutationibus temerariis fabulae summorum poetarum integrae seruarentur [1]), altera instat quaestio, qua quibus fontibus et auxiliis Lycurgus ad hoc exemplum componendum usus sit, agitur, maximi ea nobis momenti. Nam quoniam Galeno teste [2]) constare uidetur, hoc exemplar

1) Acute cum hac cura a Lycurgo tragicis poetis summis data contulit Vaterus (Encycl. Hallens. u. Pisistratos III, 15 p. 65) Pisistrati collectionem carminum homericorum similem in usum factam.

2) Galen. in Hippocr. Epidem. III, 2 (V, 412 ed. Bas. XVII, 607

Alexandriam translatum esse (Welcker. l. l. p. 908), si ex bonis fontibus ductum erat, summam ei auctoritatem ab Alexandrinis criticis tribuendam fuisse eoque duce ab illis fabularum recensiones institutas esse, non est quod dubites. Nec defuerunt qui nostra quoque aetate multis locis certum fundamentum id Alexandrinos usurpasse contenderent apparere (J. Richter. de Aesch. Soph. Eurip. interprett. graecis p. 26).

Quam quaestionem tractaturo duo offeruntur fontes, alter qui ex ueri similitudine ductus est, alter ex testimoniis quae nobis scholiastae de histrionum interpolationibus seruarunt. Ac primum quidem, si cui fini exemplar Lycurgi destinatum fuerit spectas, putaris illum ut fabularum textum quam integerrimum exhiberet, optima et antiquissima antigrapha comparanda curauisse. Qua in cura quatenus ei tam feliciter successerit, ut *αὐτόγραφα* poetarum nancisceretur, uix dixeris, quamquam longius per tempus ea seruata esse nullus dubito. Nam etsi Aeschyli Sophoclis Euripidis progenies non ita familias quasdam poeticas effecerunt, ut ars et mos auctoris ab singulis colerentur (quod contra A. Boeckhium (trag. gr. princc. p. 31 sq. 115 sq.) euicisse uidetur G. Hermannus (de choro Eumen. II p. 18 sq. = opusc. II p. 155 sq.), quod tamen omnes fere, qui e horum poetarum gente fuerunt, poetas exstitisse uidemus, ab ueri similitudine non ita abhorrere arbitror quod in horum gentibus fabularum exemplaria fuisse coniicio uetusta quaeque textum sat integrum praeberent. Aliud accedit exemplorum genus ne illud quidem contemnendum. Nam si recte se habent quae ex eis

---

Kühn.) *ὅτι δ' οὕτως ἐσπούδαζε περὶ τὴν τῶν παλαιῶν βιβλίων κτῆσιν ὁ Πτολεμαῖος ἐκεῖνος, οὐ μικρὸν εἶναι μαρτύριόν φασιν, ὃ πρὸς Ἀθηναίους ἔπραξε· δοὺς γὰρ αὐτοῖς ἐνέχυρα πεντεκαίδεκα τάλαντα ἀργυρίου καὶ λαβὼν τὰ Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου καὶ Αἰσχύλου βιβλία χάριν τοῦ γράψαι μόνον ἐξ αὐτῶν εἶτ' εὐθέως ἀποδοῦναι σῶα, κατασκευάσας πολυτελῶς ἐν χάρταις καλλίστοις ἃ μὲν ἔλαβε παρὰ Ἀθηναίων κατέσχεν, ἃ δ' αὐτὸς κατεσκεύασεν, ἔπεμψεν αὐτοῖς παρακαλῶν ἔχειν τε τὰ ιε' τάλαντα καὶ λαβεῖν ἀνθ' ὧν ἔδοσαν βιβλίων παλαιῶν τὰ καινά.* cf. p. 603.

quae Xenophon (Memor. IV, 2, 1) de Euthydemo libros colligente narrat ex aliisque Aristophanis (e. gr. Ran. 1109 sq.) aliorumque scriptorum locis collegerunt[1]), quarti saeculi a. Chr. n. initio mercatum librorum Athenis non mediocriter floruisse, praecedentis quoque saeculi fine qui fuerunt poetas praecipue Sophoclem et Euripidem fabulas suas in publicum diuulgandas curasse uerisimile est. Cuius generis exempla antiquiora ab archetypo proxime afuisse et si in uniuersum spectas, interpolationibus caruisse facile mihi persuaserim. Mirum autem me habet quod Richterus (l. c. p. 37) non tam eius modi exemplaribus quae modo recensui eum usum esse contendit cui exemplaris publici compositio tradita erat, quam »solis exemplaribus quae ab ipsis poetis siue saltem ipsorum auctoritate confecta fuerint quaeque a gente illorum, a qua seruabantur impetrauerit«: cuius opinionis quod sciam nullum aliud affert argumentum, quam quod nullo uerbo dicatur, collata esse iussu Lycurgi singula exempla, si quae priuatorum uirorum fuissent. Quod ut illi concedamus, at tamen desideramus argumenta quibus iussu Lycurgi exemplaria collata esse demonstret »quae ab ipsis poetis siue saltem eorum auctoritate confecta erant«. Haec igitur ut mittamus aliam mouit Richterus quaestionem quae ad auctoritatem huius exempli recte iudicandam magni est momenti. Is enim cum uideret, saepius in scholiis ad tragicos poetas praecipue Euripidem uersus, uel singulos uel complures ab histrionibus interpolatos esse narrari atque unde Alexandrini hanc haberent notitiam quaereret, publici exemplaris eum fuisse usum sibi finxit (l. l. p. 20), ut dum in scena agerentur fabulae, scriba publicus non modo, id quod alii quoque coniecerunt (cf. p. 5 sq.), tacite legeret fabulas recitantesque sequeretur, sed etiam, uae miserum! si quid ab actoribus uel peccatum uel mutatum sentiret, sedulo in margine notaret; atque quoniam exemplum publicum Alexandriam uenisse constat, nostra etiam aetate multis locis cognosci posse, quae malae actorum sedulitati deberemus

---

1) Cf. G. Becker. Charicles tom. I p. 206—211 ed. I.

(l. l. p. 27). Quod ne temere dictum uideatur, opinor, ipse ex uariarum lectionum et scholiorum et codicum farragine magnum lectionum numerum composuit, quas sibi persuasit ex actorum mutationibus profectas esse, quamquam ipse, quae librariis attribuenda essent, difficile esse diiudicatu concessit. Ut breuiter moneam, librariorum errores diuersissimis temporibus natos congerere nihil ualere ad auctoritatem exemplaris publici perspispiciendam (uide Richterum ipsum p. 30), id tamen non intellego, quod Richterum video proposuisse etiam coniecturas Alexandrinorum in hoc exemplo locum habuisse [1]). Accedit Richteri opinionem de scriba mutationes histrionum notante et tam esse ridiculam, ut nemini [2]) ueram probauerit et ex falsa de exemplaris usu et fini opinione profectam sententiam.

Sed ut eo, unde disputatio deflexit redeamus, etsi nobis, qualia exempla fabularum Lycurgus sibi parare debuerit, reputantibus, fieri non potuisse uidetur, quin et in antiquissima apographa et quoad licuit in autographa poetarum inquireret, tamen quoniam haec omnia densa caligine offusa sunt, ne tertium quidem genus codicum omnino neglegendum uidetur, quod in histrionum manibus fuit: cuius de conditione satis certo ex eis iudicare possumus, quae de interpolationibus histrionum relata uidemus. Ut enim nostratium poetarum dramata fere omnia aliter aguntur quam leguntur, scenae, conditionibus multas postulantibus mutationes non raro sat magnas, sic tum quoque

---

1) l. l. p. 28 Soph. El. 451 τήνδε λιπαρῆ — τήνδ' ἀλιπαρῆ cf. G. Wolf. de scholl. Laurent. p. 34. Schmidt. Didymus p. 92. Ritter Didym. p. 39 et Richterum ipsum p. 29 ubi inter coniecturas Aristophani attribuendas hanc ipsam affert. — Maius autem idem molitur p. 37 ubi dicit: apographum (sc. exemplar publicum) confectum est una cum additamentis illis atque interpolationibus histrionum, quae nescio qua ratione siue a fabularum actoribus (sic) siue a scribis publicis in margine exempli aut in singulari libello consignatae erant; sed in his quoniam, quomodo hoc fieri potuerit, se ipsum non recte perspicere fatetur, nolumus morari.

2) Graefenhanio excepto (hist. philol. p. 249 sq. cll. p. 280 sq.).

temporis factum esse uerisimile est, praesertim ubi poetae munus fabulas edocendi in histrionis (*πρωταγωνίστου*) officia uenit. Ac talia quidem exemplaria a Lycurgo adhibita esse Boeckhius opinatur, si recte eius interpretor uerba (graec. trag. princc. p. 14): »tantum abest ut institutum hoc (sc. exempl. publ.) tragoediarum integritatem seruauerit, ut etiam factas pridem mutationes confirmauerit et confirmatas bona fide grammaticis tradiderit«.

Tot tantisque ex difficultatibus ut uiam nobis muniamus, ad Alexandrinos recurrendum esse censeo inuestigandumque qua ratione illi tragicorum poetarum fabularum textum tractauerint. Facile enim concesseris, illos si Atheniensium exemplar bonis niti fontibus inuenerunt, eo solo fere fundamento in textu constituendo usuros textuique eam daturos fuisse firmitatem, quae quam proxime ad autographum poetarum accederet. Ac hac quidem in quaestione uix magni aestimauerim, quod numquam uestigium quoddam huius exempli ab Alexandrinis adhibiti inuenimus, nisi fortasse eis locis ubi *τὰ παλαιότερα ἀντίγραφα, τὰ παλαιὰ ἀντίγραφα, τὰ λίαν π. ἀντίγραφα* laudantur, ad hoc ipsum respici uis (cf. Richter. l. l. p. 31 sq.). Quamquam ne his quidem locis certius quoddam affirmauerim, quoniam et difficile saepe est haec testimonia boni esse temporis demonstrare nec temporis Byzantini, id quod non paucis locis luce clarius est [1]), et etiamsi boni temporis notas hoc uel illud testimonium habere euiceris, non habes quo codices intellegendos tempore quod ante Alexandrinos fuit confectos euincas nec, quoniam scholia habemus ex Didymi aliorumque qui post eum fuerunt recensione, editiones ab Alexandrinis criticis euulgatas Didymoque citatas (cf. schol. Eur. Hec. 222 *τὰ ἀκριβέστερα ἀντίγραφα*). Atque etiam ubi antiquissimi codices cogitandi sunt (uelut ad Soph. O. C. 390 haec adnotat Didymus: *εὐνοίας χάριν· ἐν δὲ τοῖς ἀναγκαιοτέροις τῶν ἀντιγράφων γρ. εὐσοίας*

1) Cf. e. gr. schol. Eur. Hec. 329. Schol. Soph. O. C. 1560 quod Wolffius de scholl. Laurent. p. 19 falso Didymo adscribit.

χάριν, ὃ καὶ οἱ ὑπομνηματισάμενοι[1]) *ἀξιοῦσιν*); pluralis numerus quo minus Atheniensium publicum exemplum adhibitum esse autumemus prohibet, praesertim cum dubitare non liceat, antiquiora antigrapha in Alexandrinorum manibus fuisse.

Sed utut haec se habent, aliam uiam ingressi plura atque certiora inueniemus, num omnes Aeschyli Sophoclis Euripidis fabulae in publico exemplo scriptae fuerint quaeritantes. Quod quoniam hoc exemplum Alexandriam translatum esse iam saepius Galeno teste retulimus, ita optime enucleari posse apparet, ut, num omnes horum poetarum fabulas Alexandrini habuerint, disquiramus. Ac sunt sane loci quibus hanc vel illam fabulam Alexandrinos non uidisse edocemur. Velut in argumento Medeae Euripidis legimus: *τρίτος Εὐριπίδης Μηδείᾳ Φιλοκτήτῃ Δίκτυι, Θερισταῖς σατύροις· οὐ σώζεται.* cui simile quid in argumento ad Phoenissas locum habuisse iure coniecit A. Nauckius (Eurip. II p. XXXIII): quae testimonia, eo maiorem uim habent, quod eiusmodi adnotationes Aristophanis Byzantii auctoritate niti post Fr. G. Schneidewini (de hypoth. trag. graec. Aristophani Byz. uindic. Gotting. 1853) doctas quaestiones nemo dubitat.[2]) Nec minus ad eandem aetatem spectare constat, quae Suidas de numero fabularum Euripidis tradit (s. u. *Εὐριπίδης Μνησάρχου*): *δράματα δὲ αὐτοῦ κατὰ μέν τινας σε΄ κατὰ δὲ ἄλλους ϟβ΄. σώζονται δὲ οζ΄* quaeque in uita Euripidis leguntur (Nauck I p. VIII) *τὰ πάντα δ' ἦν αὐτῷ δράματα ϟη΄· σώζεται δὲ αὐτοῦ δράματα ξζ΄ καὶ γ΄ πρὸς τούτοις τὰ ἀντιλεγόμενα* (cod. *τὰ ἀντιλέγει.* Nauck. coni. *ἃ ἀντιλέγεται*) *σατυρικὰ δὲ η΄. ἀντιλέγεται δὲ καὶ τούτων τὸ α΄*, quibus ex uerbis, ne tangamus quaestiones de singulorum numerorum declinatione[3]),

---

1) Cf. Schmidt. Didymus p. 273. Wolff. de scholl. Laurent. p. 26 sq.

2) Cf. Welcker. trag. graec. III p. 896. Bernhardy. hist. lit. graec. II, 2 p. 138 cll. p. 251 ed. II.

3) Cf. Welcker. trag. graec. II p. 448 sq.

id tamen euadere opinor, Alexandrinos non omnes, quas doctas esse ab Euripide cognouerant fabulas, in manibus habuisse.

Plura suppeditant scholia in Aristophanis ranas, ex quibus singula sat erit attulisse. Quid enim est quod doctissimi illi Alexandrini tam saepe cuinam fabulae singuli uersus ab Aristophane irrisi attribuendi sint dubitant, si corpus omnium dramatum eis praesto erat, quod euoluerent? Nam aliter uix enuclearis, quod legimus in scholio ad Ar. ran. 1270: *Ἀρίσταρχος καὶ Ἀπολλώνιος ἐπισκέψασθε πόθεν εἰσί· Τιμαχίδας δέ ἐκ Τηλέφου Αἰσχύλου, Ἀσκληπιάδης δὲ ἐξ Ἰφιγενείας* vel ad ei. pac. 125 *ὁ λόγος ἐκ Σθενεβοίας Εὐριπίδου· τινὲς δὲ οἴονται ἐκ Βελλεροφόντου παρῳδῆσαι. ἔστι δὲ ἐν Σθενεβοίᾳ παρὰ τῷ τραγικῷ οὕτως κτλ.* uel ad ran. 1331 *φασὶν ὡς πάντα ταῦτα τὰ ἔπη ἔκ τινος δράματός ἐστιν Εὐριπίδου. Ἀσκληπιάδης παρὰ τὰ ἐξ Ἑκάβης.* Quarum dubitationum etsi singulas eo ortum cepisse lubenter concedo, quod Aristophanem uerbo tenus tragicorum uoces citasse rati, frustra in eis quaerendis desudarunt [1]), tamen neque exemplar omnium tragoediarum illos habuisse eo probatur, quod audimus Asclepiadem Athenis exemplum Xantriarum Aeschyli inuenisse Alexandriae non notum (schol. Ar. ran. 1344 ubi cum Dobraeo scribo *διασωθέντων* cf. Lehrs de Asclepiade Myrleano in Analectis Herodiano additis p. 445), neque si cuiusnam essent singuli uersus tragoediae dubitabatur quod praecipue sequerentur illis fuisse exemplar, et eo ueri simile fit, quod saepe inter duas fabulas ambigui haerent (cf. e. gr. schol. Ar. ran. 1294 *Τιμαχίδας φησὶ τοῦτο ἐν ἐνίοις μὴ γράφεσθαι, Ἀπολλώνιος δέ φησιν ἐκ Θρῃσσῶν αὐτὸ εἶναι*) et quod de prologis Euripideis, si qui in quaestionem cadunt, fere semper disceptant (cf. schol. Ar. ran. 1206. *Αἴγυπτος ὡς ὁ*

1) Cf. schol. Ar. ran. 1082. — *ἔστι μὲν παρὰ τὰ ἐκ Φρίξου Εὐριπίδου κτλ.* — *ἀλλ' ὁ λέγων ἐστὶ Φρίξος, οὗτος δὲ ὡς παρὰ γυναικὸς εἰρημένον αὐτὸ λέγει. ἰδεῖν οὖν χρὴ μήποτε τὸν αὐτὸν νοῦν παρ' Εὐριπίδῃ γυνὴ λέγῃ καὶ μήποτε τὸ ὑπὸ τῆς τροφοῦ ἐν Ἱππολύτῳ λεγόμενον κτλ.*

πλεῖστος ἔσπαρται λόγος] *Ἀρχελάου αὕτη ἐστὶν ἡ ἀρχὴ ὥς τινες ψευδῶς· οὐ γὰρ φέρεται νῦν Εὐριπίδου λόγος οὐδεὶς τοιοῦτος. οὐ γάρ ἐστι, φησὶν Ἀρίσταρχος τοῦ Ἀρχελάου εἰ μὴ αὐτὸς μετέθηκεν ὕστερον, ὁ δὲ Ἀριστοφάνης τὸ ἐξ ἀρχῆς κείμενον εἶπε*). Etenim dummodo aliquam curam Lycurgum exemplari publico constituendo adhibuisse sumamus ac apographa, quae parare potuit, antiquissima usurpasse, numquam me iudice fieri potuit, ut de uera et genuina singulorum locorum (praecipue prologorum) forma Alexandrini dubitarent, nisi illos auctoritatem istius exempli omnino intellegere non potuisse finges. Sed ut nunc res se habent, illud opinor extra omnes dubitationes positum est, non omnes principum illorum tragoediae fabulas in publico exemplari fuisse. Iam uero si quaerimus, quas conditiones secutus Lycurgus tragoedias, quae in hoc exemplum transcriberentur, elegerit, erunt fortasse, qui eo tempore, quo opus compositum est, non iam omnes seruatas fuisse tragoedias contendant: sed felici casu euenit, ut hanc sententiam uno quidem exemplo refutare possimus. Eos ipsos enim uersus quos Asclepiades in exemplari Aeschyli Xantriarum Athenis seruato eoque Alexandriae non noto (schol. Ar. Ran. 1344) inuenit, apud Platonem legimus, (Plat. resp. II p. 381 D. cll. Nauck. trag. gr. fragmenta p. 42) qui sane non multum abest ab illo tempore, quo Lycurgi legem latam esse coniecit Boeckhius (l. l. p. 14). Aliam autem electionis rationem in ipsa huius exemplaris destinatione inuenisse nobis uidemur. Quodsi enim memineris, interpolationes histrionum Lycurgum impedire uoluisse, facile est perspectu, eis praecipue fabulis eum curam attribuisse, quae prae ceteris ab Atheniensibus celebratae saepissime in scenam dabantur actorumque licentiae praecipue obnoxiae erant. Ita fieri potuit, ut Euripidearum fabularum longe plurimarum ratio haberetur, admodum paucarum Aeschylearum. Ac ne quis ideo omnes fabulas a Lycurgo conscriptas esse affirmet, quod sicut nouas cuique in scenam producere licuit tragoedias, sic lege permissum erat, omnes trium poetarum fabulas ut nouas agere, id unum monemus, ut nouarum fabularum *διδασκαλία* cum choro

ab archonte petendo coniuncta erat, quem ne Sophocli quidem semper tributum esse traditum est (Athen. XIV p. 638 F), sic post legem Lycurgi illorum poetarum fabulas docere non licuisse, nisi antea histrionum exemplari cum publico collato.

Iam uero si in elegendis et componendis fabulis Lycurgum scenae praecipue usus rationem habuisse recte coniecimus, tantum abesse facile apparet, ut hinc si per se res spectamus, in textum ipsum harum tragoediarum aliquid redundet, ut hunc Lycurgum optime restituendum curasse sumamus necesse sit. Attamen si eandem uiam secuti, quam in eis quae supra disputauimus instituimus, quam auctoritatem Alexandrini huic textui attribuerint anquirimus, opinio nostra de Lycurgi opera critica magnopere deminuetur. Nam etsi id, quod supra monuimus, scholiorum nostrorum exilitate spectata uix magni habueris, nullum certum exemplaris publici Atheniensium usus uestigium inueniri, certissime tamen quidnam Alexandrini de hoc exemplo senserint, eo colligitur, quod illos coniecturis textum quem dicunt tragicorum poetarum restituere studuisse traditum est, id quod numquam fecissent, si habuissent, quo quasi fundamento uterentur exemplar. Nec inutile erit harum coniecturarum quamquam olim collectarum breuem conspectum proponere, quo melius, quales sint hae coniecturae, cognoscatur [1]). Aristophanis autem haec nobis tradita sunt per eius discipulum Callistratum:

schol. Eur. Or. 1038 (Nauck.) *Ἀγαμέμνονος γόνον: γράφεται καὶ δόμον. οὕτως γὰρ Καλλίστρατός φησιν Ἀριστοφάνη γράφειν.*

ib. 714 *Ἄργους γαῖαν: γράφεται δὲ καὶ χωρὶς τοῦ σ̄ ἵν' ᾖ· Ἄργου γαῖα. Ἀριστοφάνης δὲ μετὰ τοῦ σ̄.*

ib. 1287 *ἐκκεκώφηται ξίφη: ἐκκεκώφηται ὡς παρακέκληται. Ἀριστοφάνης δὲ γράφει ἐκκεκώφωται ξίφη* (cf. schol. in Eurip. ed. Dindorf. II p. 290. Porson. ad Eur. Or. 1279) quibus addere non dubito

1) Cf. Nauck. Aristoph. Byz. p. 62. M. Schmidt. Didym. p. 274. R. Schmidt de Callistrato Aristoph. p. 19 = 325 ap. Nauck.

schol. Or. 314 *Καλλίστρατος τὴν ἐκτὸς τοῦ σ̄ γραφὴν διδάσκει κ' ἂν μὴ νοσῇ γὰρ ἀλλὰ δοξάζῃ νοσεῖν.*

Pauca haec quidem sunt nec ea, ex quibus certum iudicium formare coneris, quoniam omnia in pusillis uersantur rebus; sed longe latius hanc emendandi rationem patuisse docet immensus uariarum lectionum numerus in scholiis laudatarum, quarum longe plurimas non tam ad codices redire, quam ex eruditorum uirorum coniecturis profectas esse mihi quidem persuasissimum est. Sed longe peruersissimum est nostra aetate, quae singulis uiris doctis Alexandrinis attribuendae sint coniecturae decernere uelle, id quod Richterum fecisse uideo, qui (l. l. p. 29) eas lectiones proposuit, »quas probabiliter aut ab ipso Aristophane Byzantio profectas aut proximo post eum tempore exortas esse« opinatur. [1]) Cuius conamina optime eo refutantur, quod Aristophani Byzantio uindicauit, quae Byzantinae aetatis esse primo aspectu apparet, e. gr. lectionem *ἀμυνῶ* Eur. Or. 323 (N.) quam scholiasta his uerbis commendat: *οὐ χρὴ δὲ γράφειν ἀμύνω ἐπὶ ἐνεστῶτος (μακρὰ γάρ ἐστιν ἐπὶ τοῦ ἐνεστῶτος τὰ διὰ τοῦ* $\overline{υνω}$ *ῥήματα) ἀλλ' ἀμυνῶ ἐπὶ μέλλοντος· οὕτω γὰρ ἁρμόζεται μέτρῳ* (cf. schol. Or. 189. 194. 314. Hec. 454).

Noli autem inde, quod uix unam uel alteram literulam eis coniecturis mutari uides, quae nominatim a scholiasta Euripideo Aristophani Byz. attribuuntur, eum solos librariorum errores correxisse opinari, uel id si ueri simile uidetur, exemplar, unde, quae recta sit lectio, eum non habuisse concedas. Nam nisi fortasse adscriptis, quae ab histrionibus temere mutata erant, ipsum textum publici exemplaris corruptum esse fingis, quibus hoc affectum fuerit corruptelis, uix excogitabis. Id certe constare uidetur, Aristophanem non eam auctoritatem Lycurgi attribuisse exemplo, ut unicum quasi ducem in textu recensendo sequeretur, id quod manifestius fiet, si quid de interpolationibus quibus

---

1) Rectius egit G. Wolffius qui (l. l. p. 226—229) eas composuit lectiones in scholiis laudatas quae speciem coniecturarum prae se ferre uidentur.

laborarent poetarum fabulae Alexandrini statuerint inuestigauerimus. Ac nunc quidem ad eam quaestionis nostrae partem accedimus, quae quo magis a uiris doctis tractata est, eo magis ea sententia inualuit, textus qualem nunc habemus trium illorum poetarum quod ad summam attinet constitutionem ab exemplari Lycurgi pendere [1]), non spectatis compluribus istis deformationibus natis ex uersibus male interpositis, quibus prae ceteris textum Euripidis squalere nemo ignorat (nam Firnhaberum nihil moror). Ortum autem hae quaestiones ceperunt ex adnotationibus illis scholiastarum Euripidis, quibus hos illos versus ab histrionibus male fictos esse monuerunt.

Quarum interpolationum notitia qua uia ad Alexandrinos uenerit scrutati in Lycurgi editionem incurrerunt, atque quoniam hanc ab Alexandrinis usurpatam esse constat, fontem harum notarum protulerunt (Boeckh. graec. trag. princc. p. 14. Richter. l. l. p. 26). Ne repetamus quae Richterus inde sequi uoluit supra satis castigata, statim transibimus ad has ipsas notas, ne eas quidem me iudice recte perspectas et adhibitas. Nolo longius morari scholion illud ad Eur. Or. 279 (N.) cll. schol. Ar. ran. 302 ubi narratur Hegelochus quidam Euripidis histrio uersum laudatum *ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν' ὁρῶ* ita pronuntiasse *ὥστε μὴ ὑποχωρῆσαι ἐκ τῆς συναλοιφῆς τὸ γαληνά, ἀλλὰ διαχωρῆσαι μᾶλλον ὥστε δόξαι τὴν γαλῆν αὐτὸν εἰπεῖν* [2]). Quod fuerunt qui eo adhiberent, ut quantum actores poetarum uerba deprauassent demonstrarent, atque id ipsum quod ex sola comicorum poetarum derisione istius homunculi posteris traditum est, in exemplari Lycurgi adnotatum fuisse contenderent. At multo grauius est, quod omnes illas de histrionum interpolationibus adnotationes ad eandem rationem redire uoluerunt. Sed ipsos locos proponemus ne postea singulos exscriba-

---

1) Cf. A. Witzschel. de uersib. in Eurip. Medea male repetitis p. 147. Richter. l. c. p. 26.

2) Cf. Westermann. ad Demosth. de coron. § 139 p. 274 *ὁ βάσκανος οὗτος ἰαμβειοφάγος*. Etym. M. s. u. *ἰαμβοφάγος*.

mus eo ordine positos, ut similes similibus componantur, diuersi segregentur.

I. schol. Eur. Med. 85 *τίς δ' ουχὶ θνητῶν: οὕτως ἀναγνωστέον 'τίς δ' οὐχὶ θνητῶν;' καὶ στικτέον. εἶτα ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς 'ἄρτι γινώσκεις τόδε' κτλ. — οἱ δὲ ὑποκριταὶ τοῦτο ἀγνοήσαντις τὸ τῆς ἀντιδιαστολῆς μετατιθέασιν εἰς τὸ 'τίς δ' οὐχὶ θνητῶν τοῦτο γινώσκει σαφῶς' κτλ.*

schol. Eur. Med. 228 *ἐν ᾧ γὰρ ἦν μοι πάντα: ἐν ᾧ ἦν μοι πάντα κάκιστος ἀνδρῶν ἐκβέβηκεν. οἱ δὲ ὑποκριταὶ οὐ συμπεριφερόμενοι τῷ τρόπῳ λέγουσι γινώσκειν καλῶς.*

ib. Med. 356 *οὐ γάρ τι δράσεις: Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ 'σιγῇ δόμους εισβᾶσ' ἵν' ἔστρωται λέχος' καὶ μέμφεται τοῖς ὑποκριταῖς ὡς ἀκαίρως αὐτὸν τάσσουσιν* cll.

schol. Med. 379 *ἢ θηκτόν: ὧδε καλῶς κεῖται. Δίδυμος σημειοῦται ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν ἐπὶ τῶν δυοῖν τὸ 'σιγῇ δόμους εἰσβᾶσα 'καύσω ἢ σφάξω αὐτούς.*

schol. Med. 910 *παρεμπολῶντι: — ἰδίως οὖν εἴρηκε πόσει ἀντὶ τοῦ πόσιος. οἱ δὲ ὑποκριταὶ ἀγνοήσαντες γράφουσιν ἀντὶ τοῦ πόσει 'ἐμοῦ' ὅπερ οὐ δεῖ.*

schol. Phoen. 264 *οὐ μεθῶσιν: οὐκ ἀφῶσιν ἄτρωτον. ἄλλως. οἱ μὲν γράφουσιν οὐκ ἐκφρῶσιν. οἱ οὖν ὑποκριταὶ διὰ τὸ δυσέκφορον μεταπλάττουσι τὴν λέξιν κτλ.*

schol. Androm. 6 *ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεταί ποτε: οἱ ὑποκριταὶ τὸν ἴαμβον προσέθηκαν ὑπονοήσαντες εἶναι τὴν γραφὴν 'δή τίς' ἵν' ᾖ οὕτως 'νῦν δή τίς ἄλλη' καὶ ἀντὶ τοῦ συγκριτικοῦ τὸ δυστυχεστάτη φασίν* (cf. scholia in Euripid. tragoedias ed. Dindorf. t. IV p. 124, 8 et ibi notam).

II. schol. Eur. Med. 169 *Θέμιν εὐκταίαν: τῶν διαβεβοημένων ἐστὶ ζητημάτων καὶ τοῦτο, πῶς ἡ μὲν Μήδεια τὴν Θέμιν καὶ τὴν Ἄρτεμιν βοᾶται, ἡ δὲ πρεσβῦτις ἀντὶ τῆς Ἀρτέμιδος τὸν Δία φησὶν αὐτὴν ἐπιμαρτύρασθαι. Ἀπολλόδωρος μὲν οὖν φησιν ὁ Ταρσεὺς τῆς ἀμφιβολίας αἰτίους εἶναι τοὺς ὑποκριτὰς συγχέοντας τὰ χορικὰ τοῖς ὑπὸ Μηδείας λεγομένοις. — — ὁ δὲ Δίδυμός φησιν ὅτι διὰ τοῦ λέγειν 'διά μου κεφαλῆς φλὸξ οὐρανία βαίη' ἐπικαλεῖται τὸν Δία.*

τίς γὰρ εἶχεν αὐτῇ ἐπιπέμψαι τὸν κεραυνὸν εἰ μὴ ὁ Ζεύς; — εἰ καὶ ἡ πρεσβῦτις μὴ πάντων ὧν ἡ Μήδεια ἐπεκαλέσατο ἐμνήσθη οὐ παράδοξον· ἠρκέσθη γὰρ τοῖς σεμνοτάτοις. — οἱ δέ φασι λείπειν τὸ "ὄμνυμι Ζῆνα καὶ Θέμιν". cf. schol. Med. 148.

schol. Or. 1366 *ἀλλὰ κτυπεῖ γάρ: τούτους δὲ τοὺς τρεῖς στίχους οὐκ ἄν τις ἐξ ἑτοίμου συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ὑποκριτῶν, οἵτινες ἵνα μὴ κακοπαθῶσιν ἀπὸ τῶν βασιλείων δόμων καθαλλόμενοι παραγοίξαντες ἐκπορεύονται τὸ τοῦ Φρυγὸς ἔχοντες σχῆμα καὶ πρόσωπον ὅπως διὰ τῆς θύρας εὐλόγως ἐξιόντες φαίνωνται. ἐξ ὧν δὲ αὐτοὶ λέγουσιν, ἀντιμαρτυροῦσι τῇ διὰ τῶν θυρῶν ἐξόδῳ. φανερὸν γὰρ ἐκ τῶν ἑξῆς ὅτι ὑπερπεπήδηκεν.*

Argum. Rhesi. *πρόλογοι δὲ διττοὶ φέρονται. ὁ γοῦν δικαίαν* (cod. Nauck. coni. *Δικαίαρχος*) *ἐκτιθεὶς τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Ῥήσου γράφει κατὰ λέξιν οὕτως· 'νῦν εὐσέληνον φέγγος ἡ διφρήλατος'. ἐν ἐνίοις δὲ τῶν ἀντιγράφων ἕτερός τις φέρεται πρόλογος πεζὸς πάνυ καὶ οὐ πρέπων Εὐριπίδῃ· καὶ τάχα ἄν τινες τῶν ὑποκριτῶν διεσκευακότες εἶεν αὐτόν κτλ.*

Tertiam exemplorum classem, quam infra eiusdem generis esse euincam, statim addo.

III. schol. Soph. Antig. 45 *Δίδυμος δέ φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον νενοθεῦσθαι.*

schol. O. C. 237 *Τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόσωπον ὅλον καὶ τοῦ χοροῦ τὸ τετράστιχον ἀθετοῦνται εἰ καὶ ταῦτα τῆς ὁμοίας ἔχεται δυνάμεως τοῦ ποιητοῦ. κρεῖττον γάρ φασιν εὐθέως τῷ δικαιολογικῷ χρήσασθαι τὸν Οἰδίπουν πρὸς αὐτούς. ἀλλὰ τὰ πράγματα αὐτοῖς οὐκ ἐν καιρῷ ἐστιν, ἀλλ' ἐν δυσπραγίᾳ ὥστε ἐπαφρόδιτον εἶναι αὐτοῖς τὴν ἐλεεινολογίαν· καὶ τοῦτο τὸ πρόσωπον ἡ Ἀντιγόνη πληροῖ. ἐπεὶ μὲν οὖν οὗτοι οὐ πείθονται, τότε δικαιολογικώτερον καὶ ὥσπερ ἀπολογούμενος ἐκφέρει τὰ ἑξῆς ὁ Οἰδίπους· ὅτι ἀκούσιά ἐστιν αὐτοῦ τὰ ἁμαρτήματα. καθόλου θαυμαστή τις ἐστιν ἡ οἰκονομία τοῦ δράματος. οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν.*

schol. Soph. Ai. 841 ταῦτα δὲ νοθεύεσθαί φασιν, ὑποβληθέντα πρὸς σαφήνειαν τῶν λεγομένων.

schol. Eur. Med. 570 κρύπτειν δ' ἃ κρύπτειν: ἔπεσεν εἰς τὸ κακόζηλον ὅπερ κακίζουσιν οἱ ὀβελίζοντες.

schol. Eur. Or. 640. 641 ἔνιοι δὲ ἀθετοῦσι τοῦτον καὶ τὸν ἑξῆς στίχον. οὐκ ἔχουσι γὰρ τὸν Εὐριπίδειον χαρακτῆρα.

schol. Rhes. 41 χ̄ πυραίθει στρατὸς Ἀργόλας: τὸ χ̄ ὅτι συνθέτως ἀναγινώσκεται καὶ ὅτι οὐκ ἔστιν Εὐριπίδου ὁ στίχος. 1)

Hunc igitur scholiorum complexum pertractantem non fugiet, duas esse classes quibus singula attribuenda sunt, eo inter se diuersas, quod altera in parte scholiorum histrionum interpolationes ita notantur ut eis qui notarunt minimam fuisse dubitationem appareat, in altera autem coniecturae de locis suspectis proferantur, quae externa iam forma quantum absint a ueritate ostendunt. Quod magis fit manifestum si perscrutaris quibus argumentis hos uel illos uersus actoribus deberi contenditur. Nam exempli gratia uersus in Euripidis Oreste (1366 sq. N.):

ἀλλὰ κτυπεῖ γὰρ κλῇθρα βασιλείων δόμων·
σιγήσατ'. ἔξω γάρ τις ἐκβαίνει Φρυγῶν
οὗ πευσόμεσθα τ' ἂν δόμοις ὅπως ἔχει

quid fuit quod genuinos esse negarent? Nonne sunt ridicula quae proferunt interpretes, histriones ne a tecto domus regiae desilientes periculum crus frangendi subeant hos uersus interpolasse ut salua uenia ex porta exire possent? Fere eos qui haec conscripserunt ne scenae quidem leges cognosse contenderes, nisi Alexandrinos quibus hasce debemus notas frequentissimum theatri usum habuisse constaret. 2) Nam quod solum eos qui

---

1) Hanc quamquam adnotationem non suo loco esse arbitror tamen cum ceteris eiusdem argumenti notis coniuncta ualet cf. schol. in Eur. ed. Dindorf I p. 24, 9 u.

2) e. gr. cf. schol. Eur. Or. 268. 632 (cll. schol. in Hermogen. rhet. IV p. 7 ed. Walz.) Richter. l. l. p. 24 n. 78.

hos uersus Euripidi abiudicarunt mouit, quod in eis quae secuntur Phryx se de muris delapsum esse dicit, id ipsum tam nihil ualere uidetur, ut mirum etiam haberemus, si de muro desiliens in scenam uenisset.

Ac si uides omnes fere huius generis notas similibus argumentis niti, ἐνστατικῶν et λυτικῶν[1]) (cf. praecipue schol. ad Eur. Med. 148. 169. 212) qui ne a tragicis quidem abstinuerunt, singula nobis in his exemplis seruata esse intelleges monumenta.

Sed ne longius eorum rationes persequamur, longe grauissima mouetur quaestio de Lycurgi exemplo sciscitantibus, quid tandem fuerit quod ei qui l. l. uersus nonnullos pronuntiarunt non esse genuinos, tam dubitanter sententiam suam in medium protulerint, cum tamen haberent exemplar illud praestantissimum ab omnibus integrum interpolationibus idque repraesentans textum qualem poetae ipsi conscripserant? Quidni eo auctore omnes interpolationes quibus genuinam operis formam foedari uiderunt deleuerunt eisque qui uel legerent uel audirent absoluti artificii delectationem pararunt? Quam difficultatem ut soluamus nulla alia quod uideam praesto est ratio, quam ut Alexandrinos exemplar non cognouisse sumamus, quod unum in poetis scenicis recensendis spectarent, scilicet quod tantum abfuit ut ad autographa poetarum uel qui eis similes essent libros confectum interpolationes segregaret, ut non minoribus scateret uitiis quam ceteri libri quas Alexandrini habuerunt. At sunt tamen loci quibus certis uerbis Alexandrini uersus hos illos ab histrionibus appositos esse affirmauerunt: quod quo modo fieri potuit si in ipso publico exemplari interpolationes inerant? Quam quaestionem priusquam soluimus, Boeckhii argumentationis (l. l. p. 14) ratio habenda est, qua ille in publico exemplari Atheniensi histrionum interpolationes fuisse euincere studet. Is enim eo ipso quod ab scholiastis singulos uersus non tam Euripidis quam

---

1) Cf. F. A. Wolf. prolegom. p. 195 = 117 ed. II. Lehrs. Aristarch. p. 205 sq.

actorum esse refertur, in exemplari Lycurgi hos ipsos uersus interpolatos locum iam habuisse conclusit, neque tamen unde Alexandrini horum habuerint notitiam enucleauit. Ac negari quidem nequit, criticis illis antiquiores libros ad manus fuisse quorum auxilio histrionum additamenta separarent — quamquam huic rationi minus confisus sim, quoniam eo ipso quod traditum est Lycurgi exemplar Alexandriam arcessitum summoque pretio retentum esse, magnopere infirmatur —: alios autem fontes ex quibus hauserint uix detexeris. His igitur ex difficultatibus ut liberemur, una restat uia eaque simplicissima. Ut enim supra coniecimus electionem fabularum quae in Lycurgi exemplar reciperentur ad scenae usum institutam esse, ita ut eae praecipue componerentur quae perpetuo agi solebant, sic quod ad textum fabularum attinet, non tam id Lycurgus spectasse uidetur ut genuina poematum forma restitueretur, quam ut ea forma quam dramata longo scenae usu acceperant quamque eius conditionibus aptissimam fuisse non est quod dubites, literis dederetur eoque instituto temerariae et inutiles mutationes praecauerentur. Quibus quanto opere indulserint histriones infra demonstrabimus: nunc quid ex eis quae modo demonstrasse nobis uidemur sequatur uidebimus. Ac primum quidem ut eos locos respiciamus, quibus certis uerbis histrionum memorantur interpolationes, si ea quae disputauimus, recte se habere uidentur, has interpolationes de quibus certum fuit Alexandrinis criticis iudicium, non fuisse in Lycurgi exemplari, sed eo tempore esse natas manifestum est, quod inter compositum illud exemplar et translatum Alexandriam medium est. Histrionibus autem ut tribuerent iure fecisse uidentur Alexandrini, quippe quae primo adspectu cum genuina lectione collatae falsae cognoscantur eisque de caussis ortae, quae nisi cum agerentur fabulae esse non potuerunt. Satis acute enim Richterus quae ab scholiastis ad Eur. Phoen. 264. Med. 85. 228 notantur histrionum mutationes consulto fere ab illis factas esse euicit, quibus (l. l. p. 21. 22) »sonum sigmatismi odiosum expellerent« (cf. schol. Eur. Med. 476 *πλεονάζει ὁ στίχος τῷ σ̄. ὅθεν καὶ ὁ Πλάτων ἐν ταῖς Ἑορταῖς φησιν,*

ἔσωσας ἐκ τῶν σίγμα τῶν Εὐριπίδου κτλ.). Nec alia res est de uersu in Euripidis Medea ter olim posito [1]:

σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ', ἵν' ἔστρωται λέχος.

quem ubi eadem rerum conditio rediit repetierunt, quo distinctius singula spectantes singula sibi fingerent. Ac quamquam ex hoc temporis ambitu quo hae interpolationes ortum ceperunt nullum aliud praeter ea quae composuimus ex scholiastis testimonium interpolationum ab histrionibus factarum superest, siquidem quod narrant (Plut. de fortun. Alex. II, 2 p. 321 R.) Lyconem quendam cum apud Alexandrum fabulam ageret, *στίχον αἰτητικὸν* inseruisse ut pecuniam ab illo acciperet minus huc quadrat, tamen si reputaueris quae a Grysario et Welckero de histrionum conditione, fere ab omnibus legibus libera, disputata sunt facile intelleges, ex quo illi a nemine docti nisi a magistro gregis fabularum acceperant editiones, multum remisisse de antiqua seueritate, nec ut olim cum poeta ipse adesset secutos esse eius uerba in recitatione. Atque si Athenis curatum erat Lycurgi exemplo conscripto, ne in posterum nouae orirentur mutationes, at in tota relicua Graecia libera erat mutandi occasio. Undique autem cum Alexandriam comportarentur poetarum libri, longe plurimos fuisse concedes ex eo tempore quod est post Atheniensium exemplar confectum. Unde huius exemplaris non exiguam fuisse patet auctoritatem, quippe quod praeberet textum

---

1) Codices nostri habent post uu. 40 et 380. Didymus etiam post u. 356 inuenit. — Ceterum quoniam de Didymi sententia cuiuis qui de hac re scribit iudicandum est, uersum de quo agimus illum eodem loco recte se habere putauisse contendo quo nunc poni solet sc. post u. 379. Illius enim uerba sunt sine dubio *ὧδε καλῶς κεῖται.* Quod autem *σημείῳ* (*τῷ χ*) uersum notauit ideo fecit, ut saepius falso ab histrionibus hunc versum positum esse significaret. Scholii uerba autem sic restituo: *ὧδε καλῶς κεῖται ἐπὶ τοῖν δυοῖν τὸ σιγῇ δ. εἰσβᾶσα καύσω ἢ σφάξω αὐτούς. τὸ χ ὅτι κακῶς οἱ ὑποκριταὶ τάσσουσιν.* Quae ad u. 356 scripta sunt *Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ ʽσιγῇ δόμους εἰςβ. ἵν' ἔστρωται λέχος᾽* nihil aliud significant quam Didymum in exemplis nonnullis hoc loco uersum istum legi adnotasse.

centum plus annis antiquiorem, quam qui Alexandriae in scena ageretur eoque collato criticos eas seiunxisse interpolationes ueri simile est, quae tempore supra significato natae erant. Sed quod singulis locis certis argumentis euinci posse inuenerunt, id latius patere rati eadem ratione textus poetarum perscrutati sunt, quali nunc in recensendis textibus uti solemus, ut logicis et aestheticis, ut his utar uerbis, nisi rationibus poetarum peruolutarent fabulas, et si qui minus apte adnexi esse uiderentur uersus uel conexum sententiarum infringere eos spurios notarent. Hos autem uersus histrionibus criticos attribuisse uix mireris, modo eorum tempore eius corruptionis quae in nostris codicibus grassatur ex uersibus ad marginem adscriptis natae nullum fuisse uestigium memineris. — Iam uero uides quid sit quod eos quoque locos quibus nulla histrionum memoria ἀθετήσεις Alexandrinorum afferuntur sub eandem cadere rationem diximus, seu illi ipsi histrionibus hos illos uersus deberi commemorare omiserunt seu — quod lubentius crediderim — librariorum incuria haec nota perdita est: Inuenimus autem has ἀθετήσεις proferentibus easdem caussas fuisse quas supra *coniecturis* de histrionum interpolationibus fundamento esse demonstrauimus, offensiones istas magna ex parte ne nauci quidem aestimandas, quaeque si quid aliud quam non ad artem criticam exercendam apti fuerint Alexandrini ostendunt.

Paucis uerbis igitur ut nostrae disputationis summam comprehendamus, exemplum fabularum Aeschyli Sophoclis Euripidis Lycurgo auctore confectum neque omnes horum poetarum fabulas complexum est neque eum praebuit textum qui ad poetarum autographa quam proxime accederet, sed qualis decursu temporis in usu scenae ab histrionibus conformatus erat. Interpolationes autem actorum quae in scholiis traduntur eo tempore natae esse uidentur, quod fuit inter compositionem exempli publici idque Alexandriam translatum.

Superest ut ea breuiter perstringamus, quae qua ratione histriones poetarum fabulas tractauerint docent. Pauca sunt sane testimonia nec ea magni ponderis: sed ut suam accipiant lucem prius

de conditione histrionum qualis fuerit inde ab saeculo quarto a. Chr. ineunte disputandum est, si cum temporibus quae antecedunt confers longe mutata et nisi fallor aucta. Ex quo enim fabulis Aeschyli Sophoclis Euripidis ut nouarum instar in scenam darentur concessum erat, histrionum gens quam etiam uiuis his poetis magis magisque serpsisse ueri simile est longe aliam eamque liberiorem accepit conditionem. Nam etsi id mansit, ut nouarum fabularum poetis histriones ab archonte adscriberentur quos doceret (Plat. Charmid. p. 162 D. legg. ζ p. 187 B—D), si antiquae fabulae agendae erant, uix fuit necessarium ut histrionibus inculcarentur. Nam quod pristino tempore factum erat ut ciues bona uoce praediti nomina dare iuberentur (Bergk. uit. Soph. p. XXXIV not. 115), qui ludis scenicis poetarum fabulas ab eis edocti agerent, id ex quo latius studium ludorum spectandorum diuulgatum erat desiisse certumque histrionum ordinem ortum cepisse ut per se ueri simile est, sic eis quae de Sophocle tradita sunt firmari uidetur. Hic enim est sensus uerborum in uita Sophoclis (Westermann. *Βιογραφοι* p. 128, 33. ap. Soph. El. ed. O. Iahn. p. 4, 3): quibus Sophocles dicitur *ταῖς Μούσαις θίασον ἐκ τῶν πεπαιδευμένων συναγαγεῖν.* Recte sane O. Iahnius ex poeta quodam haec sumpta esse intellexit resque est satis periculosa quid sibi uelint statuere, quoniam uix licet singulas uoces pro certis usurpare terminis: sed nisi fallor si memoria tenemus Athenaei uerba (VIII p. 362 F) *καλεῖται δὲ καὶ ὁ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος θίασος* (quibuscum cf. Plut. Anton. 24 *πολλὴν αὐτὸς ἄγων σχολὴν καὶ εἰρήνην ἀνεκυκλεῖτο τοῖς πάθεσιν εἰς τὸν συνήθη βίον, Ἀναξήνορες δὲ κιθαρῳδοὶ καὶ Ξοῦθοι χοραῦλαι καὶ Μητρόδωρός τις ὀρχηστὴς καὶ τοιοῦτος ἄλλος Ἀσιανῶν ἀκροαμάτων θίασος κτλ.*) non inepte coniecit Bergkius (uit. Soph. p. XXIII cui adstipulatur Dindorf. uit. Soph. t. VIII p. XXX ed. 1860. cf. Grysar. l. l. p. 28) Sophoclem collegium quoddam instituisse musis consecratum quod statis diebus conueniret, cui poetae histriones fortasse etiam choreutae aliique artium liberalium cultores adiuncti erant. Ac Bergkius quidem quod hoc collegio poetas histriones choreutas coniunctos

fuisse statuit, proposuit sine dubio eorum collegiorum analogiam secutus quae post Alexandri magni tempus multis locis inuenimus (Welcker. trag. gr. III p. 1303 sq.), in eo tamen me iudice falsus quod choreutas cum ceteris composuit quos semper eosdem fuisse uix probari poterit (Boeckh. oecon. ciu. I p. 488. 489. Grysar. l. l. p. 22). Nec iniuria: magna enim fuit sine dubio Sophoclis temporibus Dionysiacorum artificum Athenis numerus, qui si forte usque eo cum feriae Dionysi non essent aliis officiis praestandis uitam degerant, tum cum per totam Graeciam ludorum scenicorum studium diuulgatum esset (Welcker. trag. gr. III p. 928 sq.), nec tamen usquam nisi Athenis poetae tragici exsisterent, sine dubio multis locis fabulas Athenis actas retulerunt. [1]) Neminem autem fugit, quanti momenti fuerit ut hi omnes unius collegii finibus uincerentur. Hoc enim non id solum sibi proposuisse coniicimus, ut seu Musarum seu quod postea usu fit Bacchi religiones una omnes instituerent, sed etiam artem suam discipulis tradidisse atque singulorum eruditioni curasse (Cic. de or. I, 59, 251) [2]). — Iam uero si haec quae omnia sane certis carere argumentis nec esse nisi coniecturas minus firmis fultas rationibus negari nequit, non improbabiliter disputasse uidemur, licet longius progredi eaque in institutione Sophoclis primum datum esse proponere eorum collegiorum initium quae inde ab tertio a. Chr. saeculo omnis terris uagantur [3]). Quamquam id non ita dicimus ut ex Atheniensi collegio cetera omnia ortum cepisse statuamus, sed hoc primum eorum exemplum habemus. Disputationem autem nostram ita instituemus, ut primum de Atheniensi collegio quae afferri possunt afferamus tum quid

---

1) Cf. Grysar. l. l. p. 28 qui alia quoque argumenta affert.

2) Cf. quae de collegio Homeridarum in Chio insula disputauit Boeckhius ind. lectt. Berol. 1834 p. 9 cll. C. I. II p. 650.

3) Cf. Osann. syll. p. 205. 352 sq. Boeckh. C. I. II p. 657 sq. Welcker. trag. graec. III p. 1303 sq. Letronne Recueil des inscr. de l'Egypte I p. 394. C. Keil. syll. inscr. boeot. p. 80. Ussing. inscriptt. graec. ined. p. 27.

fuerit, quod ut cetera collegia se formarent effecit enucleare studeamus. — Ac primum quidem quoniam fortuna aduersaria factum est, ut illo ex tempore quod est inter Sophoclis mortem Demosthenisque aetatem nulla nobis tradita sint testimonia de histrionum gente, uix alia uia progredi possumus, quam ut et ea quae apud Demosthenem eiusque aetatis scriptores huc pertinentia inuenimus, non minus tempus quod antecedat spectare sumamus, quam id ad quod scriptores referunt, et histrionum qualis fuerit conditio cum fabulae poetarum mortuorum agerentur ostendere conemur. Quarum quaestionum priorem tractantes Grysarium sequimur, qui in libello saepe citato de tragoedia Graecorum qualis fuerit circum tempora Demosthenis Colon. 1830 omnia fere quae huc pertinent diligenter composuit, quamquam interdum mirum in modum exempla ex diuersissimis temporibus sumpta consarcinat (cf. e. gr. p. 28 infr.). Locos autem quos ille collegit si perspicimus, id opinor manifestum fit, Athenas fere solam histrionum fuisse patriam, unde in omnes Graeciae partes arcesserentur, nec alia in urbe simile quoddam actorum scenicorum inueniri collegium: tum uero uniuersum ordinem triplici ratione diuisum esse in primarum, secundarum, tertiarum personarum actores, quorum terni seu ipsorum seu ordinis consilio propius coniuncti sunt (Grysar. p. 29). Quod si tenemus, ea fortasse quibus Sophocles *πρὸς τὰς φύσεις τῶν ὑποκριτῶν γράψαι τὰ δράματα* narratur (uit. Soph. ap. O. Iahn. Soph. El. p. 4) maiorem accipient lucem, coniuncta cum eis quae statim secuntur *θίασον τῶν πεπαιδευμένων ταῖς Μούσαις συνήγαγε.* Id enim his uerbis inest, Sophoclem prout uel protagonistarum, uel deuteragonistarum, uel tritagonistarum personas singuli ferre possent partes actoribus distribuisse (Bergk. uit. Soph. p. XXXIV). Quod apprime bene quadrat in eam interpretationem quam Bergkium secuti verbis *θίασον ταῖς Μούσαις συνήγαγε* contineri statuimus. Nam Sophocles si histriones in unum quasi corpus coire iussit, fieri uix potuit, quin totius quoque collegii institutiones administraret suoque usui aptas redderet. Nec aptius facere licuit, quam ut secundum singularum partium grauitatem

(Bernhardy. lit. graec. II, 1 p. 106 ed. II) singuli discernerentur.

Sed ut redeamus ad tempora Demosthenica, quaenam intercesserit inter ciuitates histrionumque greges conditio breuiter referemus. Nam quod pristino tempore usu fieri solitum est, ut poetae fabulas festis diebus docendas archonti darent, qui si probaret chorum praeberet histrionesque, id simul antiquae fabulae Aeschyli Sophoclis Euripidis referri coeptae sunt mutationem accepisse apparet. Iam enim quis fuerit qui fabulas agendas elegerit histrionesque docuerit quaeritur. Hanc quoque quaestionem recte soluit Grysarius (p. 29 sq.) demonstrauitque protagonistas in poetarum successisse partes atque et cum magistratibus de fabula docenda constituisse et actores instituisse (cf. de his rebus titulum Corcyr. ap. Boeckh. oecon. ciu. II, XXI tab. X p. 400 sq. C. I. II n. 1845).

Huc usque si magna ex parte coniecturis nos dedimus, iam accedimus ad tempora, quibus certa testimonia de collegio histrionum Atheniensi afferre licet. Quae etsi omnia posterius tempus denotant, tamen ad prius referri poterunt.

Habuerunt enim artifices prope Ceramici portas *βουλευτήριον* suum (Philostrat. uit. soph. II, 8, 2 p. 589 Olear. *παρῆλθεν ἐς τὸ τῶν τεχνιτῶν βουλευτήριον ὃ δὴ ᾠκοδόμηται παρὰ τὰς τοῦ Κεραμεικοῦ πύλας οὐ πόρρω τῶν ἱππέων*) in quo fuisse *κοινὴν* eorum *ἑστίαν* (Athen. V p. 212D) nullus dubito (cf. Welcker. trag. gr. p. 1276. Osann. syll. p. 205 not. 1. Ussing. l. l. p. 27) atque festis diebus suum obtinuerunt locum (Athen. l. l.). Ut enim Athenioni obuiam ierunt deque societatis consilio sacrificia pro eo instituerunt, sic etiam cum Eleusiniae fierent solemnitates in suo ipsorum delubro celebrabant teste inscriptione quam Rangabé (Antiq. hellén. II p. 436 sq.) publici iuris fecit [1]). Nam ne quis dicat hanc inscriptionem ad Athe-

1) *ἡ σύνοδος τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν διὰ παντὸς (τοῖς θεοῖς εὐσεβοῦσα? καὶ) αὔξουσα καθ' ὅσον ἐστὶ δυνατὴ τάς τε θυσίας καὶ τ' ἄλλα πάντα (τὰ ἐ)ψη(φισμένα) καὶ τὰ ὑπ(όντα) τοῖς θεοῖς καὶ*

niense histrionum sodalitium referri quidem posse quorum prae ceteris fuit Eleusinia celebrare, attamen desiderari huius collegii certam quandam notationem idque eo tempore (intra Ol. 133 et 140 inscriptionem ponit Rangabé l. l.), quo in omnibus fere Graeciae urbibus, quae alicuius essent momenti, fuerunt histrionum factiones, quarum in decretis semper urbis in qua degebant nomen addi solet: ueri simile igitur esse collegii illius magni *τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐπ' Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου* hanc esse inscriptionem: at sunt alia quibus ab Atheniensi collegio hanc inscriptionem positam esse uidetur demonstrari posse. Nam ut praetermittamus, quamquam ne id quidem neglegendum, non esse ueri simile, in ea urbe in qua ars scenica initia floremque ceperat uix unquam theatri usum desiisse, habemus certissima testimonia quibus Dionysia magna semper solito more esse celebrata euincatur (Welcker. trag. gr. p. 1274 sq.). Neque est quod Welckerum sequamur qui (l. l. p. 1275) lyricae tragoediae specie nimium captus posteriore tempore choros abreptos esse contendit, siquidem quem laudat locum (Philostrat. uit. Apollon. IV, 21 p. 158. 159) is minime id quod uult probat (cf. Olearium ad l. l.). Accedunt multarum inscriptionum his decem annis Athenis inuentarum testimonia eo maioris pretii quod sat diuersorum temporum documenta sunt, edita in Ἐφημερίς Ἑλλην. 1853 φυλλ. 36 n. 1993 *ἀνειπεῖν τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν μεγάλων τῷ ἀγῶνι* ib. 1860. φυλλ. 54 n. 3865. 4041. 4042. 4044 (scripta fort. sub imperio Seueri (a. u. c. 946 —964 p. Chr. 193—211) Pittakis ἐφ. ἑλλ. l. l. p. 2026. Meier. comm. epigr. sec. Halis 1854 p. 81 s. u. *Ἀπολλώνιος*) 4045 (scripta Ol. 160, 2. Pittakis l. l. p. 2028. Meier. l. l. p. 80 s. u. *Ἀντίθεος*) n. 4097 (scr. Ol. 163, 3. Corsin. fast. Attic. IV p. 114. Meier. l. l. p. 79 s. u. *Ἀγαθοκλῆς*. Pittakis l. l. p. 2061 Agathoclem in Ol. 122 ponit) *ἀνειπεῖν τὸν στέφανον Διονυσίων*

τοῖς εὐεργέταις τίμια ἐψηφίσατο καὶ αὐτὴ θύειν καὶ σπένδειν τῇ Δήμητρι καὶ τῇ Κόρῃ ταῖς μυστηριώτισιν ἡμέραις καὶ βώμιον ἱδρύσατο καὶ τέμενος κατασκευάσασα ἐν Ἐλευσῖνι κτλ.

τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγῳδοῖς) n. 4098 (Διονυσίων τῶν ἐν ἄστει τραγῳδῶν τῷ καινῷ ἀγῶνι. de tempore cf. Pittakis l. l. p. 2069) n. 4104 (cf. Pittakis l. l. p. 2079. Meier. p. 87 Μήδειος cll. p. 81 Ἀργεῖος) n. 4107 (tempore incerto scr. cf. Pittakis p. 2085) n. 4108 (Διονυσίων τῶν μεγ. τραγῳδῶν τῷ ἀγῶνι τῷ καινῷ) Φιλίστωρ 1861 tab. I—III p. 41—54. p. 91 sq. (Διον. τῶν ἐν ἄστει τραγῳδῶν τῷ καινῷ ἀγῶνι) p. 134. p. 381—384 tab. II ib. 1862 p. 134 (Διον. τ. ἐν ἄστει καινοῖς τραγωδοῖς). Alias nonnullas u. ap. Welcker. l. l. p. 1274.) His in inscriptionibus mirum est semper redire notionem καινῶν τραγῳδῶν quam eo tempore quo scriptae sunt minime exspectamus. Nam etiamsi tum quoque temporis poetae Athenis exstiterunt (Suid. Σοφοκλῆς Ἀθηναῖος τραγικὸς καὶ λυρικὸς ἀπόγονος τοῦ παλαιοῦ· γέγονε δὲ μετὰ τὴν Πλειάδα. δράματα αὐτοῦ ιε'. cf. Welcker. l. l. p. 1275. 1282) scenae usui uix suffecerint, nec dubitamus quin recte Welckerus censuerit formulam istam antiquam retentam esse quamquam rebus non aptam. Quamquam is in eo errauit, quod eodem loco differentiam statuit inter titulos quosdam, quorum in altero (Ios. A. I. XIV, 8 p. 699) Διονυσίων τῶν μεγάλων τραγῳδῶν καινῶν ἀγομένων legitur, in altero τραγῳδοῖς ἐν τῷ θεάτρῳ (C. I. 107). Haec enim diuersitas si ea quae modo diximus recte se habent nihil ualet.

Accedit alterum argumentum. Cum in multis Graeciae regionibus eisque Atticae uicinis collegia sint histrionum ab eis terris uel urbibus denominata, uelut habemus τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν εἰς Ἰσθμὸν καὶ Πιερίαν συντελούντων (C. I. 3038 cll. C. Keil. syll. inscr. boeot. p. 81 sq. Osann. syll. p. 134 n. III) et τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν τῶν ἐν Θήβαις (C. I. n. 1600) quae nisi fallor aliquo modo coniuncta fuerunt τῇ τῶν τεχνιτῶν συνόδῳ τῶν ἀπὸ Ἰωνίας καὶ Ἑλλησπόντου, numquam ita fit mentio collegii Atheniensis ut cum ceteris cohaerere uideatur, immo sui semper iuris mansit.

Haec cum omnia scripsissem superuacaneum fere esse uidi

multis testimoniis etiam posteriore tempore hoc collegium Athenis fuisse euinci, ex quo in theatro Bacchi quod anno priore Athenis in meridiana arcis parte detectum est, inter inscriptiones quae sedilibus insculpta sunt apparuerunt quoque *Ἱερέως Διονύσου μελπομένου ἐκ τεχνειτῶν* et *ἱερέως Ἀντινόου χορείου ἐκ τεχνειτῶν* nomina (*Ἀρχαιολογ. ἐφημερ.* 1862 *τευχ. ζ.* p. 160 n. 156 et 158. Vischer. in mus. nou. heluet. 1863 p. 44. Monatsber. d. berlin. akad. mai. 1863. Philol. XIX p. 359 sq.). Iam cum Vischerus affirmet inscriptiones illas maxima ex parte imperatorum Romanorum aetatis uestigia ostendere, nec sumi possit, has sedes nominibus insignitas histrionum collegii sacerdotibus datas esse nisi certum quoddam corpus ei effecerunt, habemus optimum argumentum quo imperatorum tempore adhuc exstitisse Atheniensium artificum factionem probemus.

Nec multum ualet in fragmento inscriptionis quam Boeckhius Athenis positam fuisse suspicatur, nominari *τὴν ἱερὰν Ἀδριανὴν Ἀντωνείνην θυμελικὴν περιπολιστικὴν μεγάλην σύνοδον τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης περὶ τὸν Διόνυσον καὶ Αὐτοκράτορα Καίσαρα Τίτον Αὔλιον Ἀδριανὸν Ἀντωνεῖνον Σεβαστὸν Εὐσεβῆ νέον Διόνυσον τεχνιτῶν*[1]). Nam ne coniicias tum temporis quo haec *σύνοδος* Athenis degit, Atheniense collegium iam non constitisse uetat inscriptio in *ἐφημ. ἀρχαιολ.* edita n. 4044 (cf. p. 29). Immo illa *ἱερὰ Ἀδριανὴ σύνοδος* una cum Hadriano Athenis fuisse ibique ludos edidisse uidetur (cf. Vischer. l. l. p. 52).

Iam uero transimus ad cetera histrionum collegia quorum post Alexandri Magni aetatem magnum inuenimus numerum. Quae etsi saepius a uiris doctis tractata sunt, omnes tamen quod scio de singulorum institutionibus magistratibus ludis magis quaesiuerunt quam de caussis quibus ortum ceperint, nisi quod Welckerus (trag. gr. III p. 1269 sq.) breuiter hanc tangit quaestionem. Haec igitur breuiter perstringemus: cetera quibus ea quae Boeckhius (C. I. I n. 349 p. 417 II p. 657 passim) et Welckerus docte et acute disputa-

1) C. I. I n. 349. Osann. syll. LXX p. 250 sq.

runt suppleri posse putamus, alii loco reseruare malumus. Caussas autem quibus ut synodi formarentur effectum esse nobis persuademus duas habemus, utramque positam in temporum rationibus, quales cum Alexander iter Asiaticum faceret fuerunt.

Ac priorem quidem ponimus in conuentu multorum histrionum a regibus conuocatorum, quarum congressionum primum deprehendimus exemplum Ol. 108, 2 quo anno Philippus Olyntho capta *πάντας τοὺς τεχνιτάς* congregauit ut Olympia celebraret (Demosth. de fals. leg. p. 401). Quamquam haec quasi prolusio est eorum quae Alexandro rege fieri solebant. Hunc enim constat secutos esse histriones quam plurimos, quorum ope festi dies maiorem splendorem acciperent (Athen. XII p. 538 F. Plut. Alex. 29. Diodor. XX p. 783). Neque tamen solius uoluptatis caussa Alexandrum certamina tam magnifica, qualia a scriptoribus rerum ab eo gestarum referuntur, instituisse crediderim, sed non minus aliam praeualuisse rationem, quae in omnibus quae Alexander in Asia egit praelucet. Ut enim non sola gloriae cupiditate Asiam subegit, sed id sibi praecipue proposuit, ut has terras quae pristino tempore quidem eruditionem sat amplam habuerant, tum uero fere barbarae erant, graecarum literarum et morum disciplina imbueret, sic histrionum potissimum auxilio usus esse uidetur, ut humanitatis studia in hominum animos insereret. Eius autem exemplum qui post eius mortem imperium in his regionibus sibi pararunt imitati sunt atque ludorum scenicorum splendidissimo argumento urbes suas ornauerunt (Welcker. l. l. p. 1271 sq.). Atque hic inuenimus primos fontes synodorum quae sub Attalistarum (Boeckh. C. I. II p. 657 sq.) et *βασιλιστῶν* (Letronne recueil des inscr. grecq. et lat. I p. 394) nominibus proximo tempore florent.

Neque minus altera caussa de qua agere statuimus huc pertinet. Nam cum priore tempore pauca essent deorum solemnia quibus certamina scenica institui solebant, ex quo fines Atticae regionis tragica musa egressa est longe latiorem inuenit campum. Cuius mutationis primum exemplum traditum est de Archelao Macedoniae rege, quem referunt Ioui Olympio Musisque ludos

scenicos nouisse (Arrian. I, 11. Diodor. XVII, 16 Welcker. trag. gr. p. 1277 n. 87.). Nec aliter aliis locis ludis, qui antea magna ex parte athletici fuerant, sensim scenica certamina addita sunt (Boeckh. C. I. II p. 505 cll. p. 497), pariter ac Romae ludi scenici paullatim magis magisque aucti sunt (Ritschl parerga Plaut. p. 286 sq. p. 314 sq.). Neque festis diebus deorum se continuerunt, sed etiam extra tempus solemnium histriones conuocarunt ludosque instituerunt (Welcker. l. l. p. 1273). Quae cum ita sint quomodo factum sit ut magnae histrionum congregationes exsisterent facile apparet. Nam ut omnino ei se coniungere solent, qui commune artificium exercent, nempe ut artis normas et inter se excolant alter ab altero eruditus et aliis tradant qui succedant, sic tum temporis eiusmodi coniunctio eo aptior fuit, quo magis tota Graecorum uita publica posita est in gentium coniunctione numinis cuiusdam cultu cohaerentium. Quod autem in Asia sedes occuparunt eis quae supra diximus illustratur.

Iam si respicimus histrionum conditionem qualis tum fuit, eos textus poetarum libidini suae traditos non data opera integros seruasse, sed sicut locus et tempora apta erant mutasse et corrupisse non est mirum. Quarum mutationum ut supra exempla composuimus, sic superest alia quaedam adnotatio quae nisi fallor latissime eorum patuisse *διασκευὰς* demonstrat. Haec enim tradit scholiasta ad Eur. Or. 59 (Dindorf II p. 50, 21 sq.): *μεθ' ἡμέραν· οὐκ ὀρθῶς νῦν ποιοῦσιν αὐτὴν τῶν ὑποκριτῶν προεισπορευομένην καὶ τὰ λάφυρα προεισπορευόμενα μεθ' ἡμέραν· ῥητῶς γὰρ αὐτὴν νυκτὸς ἀπεστάλθαι φησί. τὰ δὲ κατὰ τὸ δρᾶμα ἡμέρᾳ συντελεῖται* (in quibus librarius cod. Florentini 33 ante uerba *τῶν ὑποκριτῶν* recte interposuit *τινές*.). Quam adnotationem nisi ita accipiendam esse statuis, ut uituperentur histriones quod Helenam producunt scena lucida, cum ex uerbis poetae obscura esse debeat (u. 55 sq.), quomodo in uerba poetae quadret uix inuenies. Quamquam ne illa quidem interpretatio ualet, quoniam certis uerbis Helenam intra domum esse significatur (u. 60), nec fieri potest ut dum Electra uersus ad quos scholion adscriptum est pronuntiat Helena in aedes

eat. Quod et ipsis scholii uerbis προειςπορεύεσθαι) demonstratur. Nulla igitur alia ratione haec uerba interpretari licet quam ut sumamus totius fabulae initium factum esse ab ingressu Helenae seruorumque qui *τὰ λάφυρα* attulerunt. Quod initio fabulae quale nobis traditum et ab Euripide scriptum est non aptum esse uides. Nam ut taceam hunc ingressum extra fines fabulae esse, quod uituperat scholiasta, Electra silentio haec non potuit praetermittere. Attamen cum eius pompae nulla in eius uerbis memoria sit, ante prologum suspicor positam fuisse ab histrionibus scenam, qua Helenam induxerunt sua fata narrantem (cf. duplices prologos in Rhesum fabulam).

Errata.

p. 4 n. 3 l. 12 infr. dist.: quarum magna fuerit cupido populo, s. l. m.
p. 7 l. 4 supr. dist.: insunt uerbis, eius interpretatione.
ib. l. 9 infr. lege: inuenimus.
p. 10 l. 13 infr. dist.: leguntur, scenae conditionibus.
ibid. l. 10 lege: Wolff.
p. 12 l. 12 infr. lege: *σέ*.
p. 16 l. 1 lege: *γραφὴν*.
ibid. l. 10 infr. lege: unde quae recta sit lectio acciperet.
p. 18 l. 3 lege: *δ' οὐχὶ*.
p. 21 l. 10 lege: quos.
p. 26 l. 12 infr. lege: omnibus.
p. 31 l. 17 lege: *Αἴλιον*.

Bonnae, formis Caroli Georgi.